

LECTIO UNDETRICESIMA

IULIUS CAESAR

Caesar beszél katonáihoz

Dum Caesar paucos dies ad Vesontionem rei frumentariae commeatusque causa moratur, ex percontatione nostrorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant, tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut valde omnium mentes animosque perturbaret. Haec cum animadvertisset, convocato consilio omniumque ordinum ad id consilium adhibitis centurionibus, vehementer eos incusavit: ... quid tandem vererentur? Aut cur de sua virtute ... desperarent? ... Facere arroganter, cum aut de officio imperatoris desperare aut praescribere viderentur: haec sibi esse curae.

Fehér vagy fekete?

Nihil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,
nec scire, utrum sis albus an ater homo.

Caesar és Catullus

Simultates contra nullas tam graves excepit umquam, ut non occasione oblata libens deponeret. Gai Memmi, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. Gaio Calvo post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti ultro ac prior scripsit. Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satis facientem eadem die adhibuit cenae hospitioque patris eius, sicut consuevit, uti perseveravit.